

ter esse. Cum ergo scientia Alchemia sit de ente reali, necessario erit sub aliqua illarum partium philosophiae: sed non sub mathematica, quia scientia Alchemia est de ente reali, coniuncto motui & materia: neque sub metaphysica, id est, divina: quia non est de ente reali separato a motu & materia, sicut sunt intelligentie. Oportet ergo necessario, quod sub naturali philosophia ponatur, cum ipsa sit de ente reali, coniuncto motui & materia. Similiter entia naturalia concipiunt sibi materiam determinatam, ut similes nubes, & visus oculum: & ideo sine sua materia sive subiecto non possunt intelligi. Entia autem mathematica non cernunt sibi materiam determinatam, ut linea, triangulus, & numerus: quia talia entia possunt esse in qualibet materia, propter quod possunt intelligi circumscripta qualibet materia. Entia autem metaphysica, id est, divina: cum careant materia, nullam cernunt sibi materiam, quare sic spiritualiter intelligantur. Cum ergo ars Alchemia sit sub parte naturalis philosophia, cum libro de Mineralibus sub alternetur: oportet necessario, quod cernat sibi materiam determinatam. Et quia intentio artis Alchemia est, sequi naturam omnino, & per omnia, ut faciat idem aurum quod ipsa: qua, & qualis erit materia apud naturam, erit & necessario apud artem, cum de potentia materia determinata extrahatur forma sua. & non de materia aliena. Si autem fuerit materia non eadem, sed quodammodo similis secundum genus, erunt & generata non eadem, sed similia secundum genus, & non secundum speciem & formam omnino. Cum igitur materia sit una, & determinata omnino apud naturam, & non multiplex: ergo necessario illa una eadem materia determinata erit similiter apud artem Alchemia, & non multiplex. Hac autem materia est argentum visum secundum omnes philosophos, tam naturales quam Alchemistas: ergo & apud artem Alchemia materia erit similiter argentum visum. Et quia materia non producit seipsum in esse ad generationem, & formam, sed ab agente proprio digeritur, & dirigitur, & informatur: tunc necessario oportet, quod istud argentum visum, quod est materia, digeratur, dirigatur, & informetur a suo agente proprio ad finem intentum natura, qua est generatio metallorum, & auri, & aliorum quarundam, quanum velinquerimus. Hoc autem agens est sulphur sibi in propriis mineraliis coniunctum, habens illud argentum visum a propria virtute evaginare & digerere per calorem naturalem.

*Alchemia  
tinet ab  
fictam.*

*Alchemia  
iustatur  
naturam.*

*Materia  
lorum*

*F*